

dutavit, id sane fuit, illo dormiente, cum se minime defendere posset (Iudith 13): Porro *Holofernes iacebat in lecto nimia ebrietas sopitus*; at cum beata Virgo Luciferi caput comminuit, et illum supervivit, certe non dormiebat, sed stremitissime vigilabat, et quantum poterat, humano generi insidiabatur. Iudith si triumphavit de Holoferne, factae pacis, et simulatae benevolentiae fraudulentum stratagemata adhibuit, ut mulieris imbecillitas industria huiusmodi compensaretur; beatissima autem Virgo, nullo utens stratagemate, nullam pacis simulationem tentans, in faciem Luciferi restitit, et gloriose de illo triumphavit. Ac tandem, sicut peracta victoria, Iudith locuta est ad populum dicens (Iudith 14): *Audite me fratres: suspendite caput hoc super muros nostros, et exite cum impetu: ite post illos securi, quoniam Dominus conteret illos sub pedibus vestris*; ita beata Virgo iubet concionatoribus, ut suspendant caput diaboli super suggesti muros, hoc est, ut omnibus manifestent victoriam, quam ipsa tulit de Luciferi, conterens eius caput: et ad vos omnes clamat: *exite cum impetu, ite post illos securi, quoniam Dominus conteret illos*. Illa sane experientia compertum est, cum et tenellae puellae, et imbeciles pueri de daemone, carne, et mundo gloriosissime triumphaverint.

Ad extremum, hucusque dicta arbitror in vobis, quantumcumque peccatoribus, magnum excitasse desiderium, huic magnae matri, ac invictissimae reginae inserviendi, ac eius vos famulaturi mancipandi; et ad eam, tanquam ad securissimum portum, et firmissimum asylum confugiendi: cum pariter mater sit, quae propterea velit; et regina, quae facile possit vobis optulari. Maxime quod si diadema eius intueamur, reperiemus, non aliis gemmis contextum, quam peccatoribus ex corde illam invocantibus. Scio Ioanni, ut supra vidimus, Mariam caelo duodecim stellis coronatam esse: non tamen una est omnium sententia, quid per illas intelligi debeat. Quidam existimant, per has duodecim stellas significari duodecim ordines beatorum, novem scilicet choros angelorum, et tres hominum, martyrum, confessorum, et virginum, quibus totus beatorum coetus comprehenditur: horum enim omnium duodecim ordinum praerogativas beata Virgo coronatur. Alii per duodecim illas stellas duodecim Apostolos intelligunt, qui fuerunt totidem Ecclesiae catholicae micantes stellae. Si enim divus Paulus discipulis suis dicebat (Philip. 4): *Vos estis corona mea*; potiori iare id dicere poterit beata Virgo Apostolis, qui per multa coelestia arcaea ex ore eius didicerunt. Alii stellas, quibus compactum est Marianum diadema, putant esse duodecim signa zodiaci, quae si mystice intelligantur, totidem divina charismata designant, quibus velut pretiosissimis gemmis ornatur Virginis corona. Alii melius arbitrantur, per has stellas duodecim corporis gloriosae dotes, quibus b. Virginis corpus, et anima, velut fulgentissimis stellis coronatur, potestati. Etenim simul atque regina Maria in Sion caelesti firmata fuit, et in civitate sanctificata requievit, et in superna

Hierusalem potestas eius manifestari coepit, et in populo honorificato radicavit, ac in plenitudine sanctorum detentio eius fuit, continuo Dominus eam coronavit: non lapidibus pretiosis, ut reliquos beatos, de quorum singulis David ait (Psal. 20): *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso, et splendidissimis stellis*; ut quanto coelestis stella quocunque lapide pretioso fulgentior est, tanto gloriosior praet ceteris corona Virginis esse intelligeretur. Dicunt ergo, has duodecim stellas esse claram beatissimae Trinitatis visionem, amorem ardentissimum, gaudium eximium, excellentem creaturarum cognitionem in Verbo, corporis impassibilitatem, miram agilitatem, subtilitatem magnam, claritatem summam, super angelicos choros exaltationem, sceptrum reginae coelorum, fulgentem virginitalis aureolum, singulare etiam insigne, quo Deipara propter ineffabilem dignitatem Matris Dei in caelo insigniri creditur. Ceterum nostro argumento inservientes, apud satis intelligi putamus per illas stellas beatae Virginis clientulos filiali amore ad eam confugientes: illas enim adeo diligit Regina Maria, adeo honorat, adeo exultat, ut supra se, ac supra regnum suum caput, illos constituat, ac ex eis regalem sibi coronam conficiat; immo et cum Filio suo conregnare faciat, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

### HOMILIA VII.

*Deiparae in caelum assumptionem valde nobis utilem esse ostendimus, cum ibi munus advocatae pro peccatoribus incessanter exercent.*

Quantum hodierna die assumptae Virginis in caelum praesentia supernis civibus triumphantis Ecclesiae attulit laetitiae, et alacritatis, tantumdem mihi videtur terrestribus incolis militantis Ecclesiae intulisse tristitiae, et moeroris eius absentia. Unde egregie d. Bernardus (serm. 1. de assumpt.) dixit: *Nobis charissimi, quae in assumptione solemnitate occisio? quae causa laetitiae? quae materia gaudiorum? Maria praesentia totus illustratur orbis, adeo ut ipsa iam coelestis patria clarius fulget virgineae lampadis irradiante fulgore. Merito proinde resonat in excelsis gratiarum actio, et vox laudis; sed plangendum nobis, quam plaudendum magis esse videtur. Quantum enim de eius praesentia caelum exultat, nunquid non consequens est, ut tantum luceat hic noster inferior mundus eius absentiam? Ceterum, in triumphanti beatae Virginis assumptione, et a lacrymis non temperare, et mirum in modum exultare debemus, sive ad Virginis gloriam, et honorem, sive ad nostram respiciamus utilitatem. Si enim filii veri sumus laetae matris, equum sane est, ut eius exaltatione vehementer gaudeamus. Ut enim Christus Dominus proximus in caelos ascendere, videns discipulos suos ob fa-*

tram eius absentiam ingenti coepisse moerore confecti, dixit eis (Ioann. 14): *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem*: ita beata Virgo similia verba sibi usurpans, nobis ait: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ut filia, vado ad Patrem; ut mater, vado ad Filium; ut sponsa, vado ad Spiritum sanctum. Quod si etiam nostrae utilitati consulimus, de Virginis certe in caelos assumptione mirifice laetari necesse erit. Quemadmodum enim Christus Dominus iam iam ascensurus ad Patrem, sacris illis alumnis suis dixit (Ioann. 16): *Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: non dissimiliter beata Virgo nobis dicere potest: Multum interest, filii, matrem vestram in caelum condescendere, ut sicut filius advocatus est apud Patrem, ita et matrem in coelesti patria advocatam habeatis apud filium. Unde haec considerans idem divus Bernardus (eod. serm. 1. de assumpt.) inquit: *Cesset tandem querela nostra, quia nec nobis hic est manens civitas, sed eam inquirimus, ad quam hodie Maria benedicta pervenit; in quam si conscripti cives sumus, dignum profecto est, etiam in exilio, etiam super flumina Babylonis eius nos recordari, eius nos communicare gaudis, eius participare laetitiam, maximeque eam, quae tam copioso impetu laetificat hodie civitatem Dei; ut sentiamus et ipsi stultitiae stillantia super terram. Praecessit nos regina nostra, praecessit, et tam gloriose suscepta est, ut fidei aliter sequantur Dominum servuli clamantes: trahere nos post te, in odorem unguentorum tuorum curremus. Advocatam praemisit peregrinatio nostra, quae tanquam Iudithis mater, et mater misericors, simpliciter, et efficaciter salutis nostrae negotia pertractabit. Pretiosum hodie munus terra nostra direxit in caelum, ut dando, et accipiendo, felici amicitiarum foedere copulenter humana divinis, terrena coelestibus, in summis. Illo enim ascendit fructus terrae sublimis, unde data optima, et dona perfecta descendunt. Ascendens ergo in altum Virgo beata, dabit ipsa quoque dona hominibus: quidni daret? Si quidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina coelorum est, misericors est, denique mater est unigeniti Filii Dei; hactenus d. Bernardus. Atque hoc mirifice facit, quod dixit Mardocheus de regina Esther (cap. 4): *Quis novit, utrum iudicio ad regnum veneris, ut in tali tempore paraveris?* id est, ut tali tempore populo tuo afferres opem, cum quae ex mortis faucibus eriperes? De nostra vero Esther ad Ecclesiam in oratione vigil. Assumptionis: *Dei rogo Virginem de praesenti saeculo transulisti Domino, ut pro peccatis nostris apud te fidei aliter intercedat*; quasi dicat: *Novimus nostram Esther ad coeleste regnum venire, ut suo populo omni tempore advocata pararetur.****

Ceterum, ut hoc *Advocatae* munus, quo beata Virgo fugiatur in caelo, pro nobis incessanter intercedens, variisque beneficiis nos frequenter cumulans, altius repetamus, praesupponere oportet, officium hoc *Advocatae* iniunctum crucis Virginis a filio suo, dum a ligno crucis penderet. Etenim clementissimus Iesus eo tempore, quo acrius iustitia, et misericordia inter

se dimicabant, cum illa a latere suo tot fautores haberet, quot iniurias ei illatas, quot blasphemias in eum prolatas, quot dolores tandem, et cruciatos, quibus supra modum angebatur. Quae omnia vindictam de peccatoribus enixe a Deo postulabant, ut adversus totum hunc insititiae exercitum misericordia praevaleret; voluit Dominus matrem suam muneris advocatricis fungentem, misericordiae partes agere, ne peccatores penitus perirent. Unde proximus morti illos omnes Ioanni Virgini commendans, dixit ei (Ioann. 19): *Mulier, ecce filius tuus*. Quam commendationem arbitror piissimum Iesum consulto usque ad illud mortis distulisse, quia sciebat ea, quae in puncto mortis alitae commendantur, libentius suscipi, et tenacius memoriae impressa retineri, ut adnotavit divus Gregorius (hom. 29. in Ev.). Atque hinc factum arbitror, quod beata Virgo, ut huius sibi iniuncti *Advocatae* officii quasi possessionem acciperet, pro honore latrone tunc efficaciter interessit. Ut enim aderat corpore medio inter crucem filii sui, et crucem latronis, ita et mente mediatrix exitit inter eodem, ut factorum hominem Christi reconciliaret, ac intincto sibi muneri satisfacere inciperet. Scio in Iure civili tantum esse, ne foeminae admittantur ad officium advocandi, tam in causis civilibus, quam criminalibus. Ita habetur l. foeminae, ff. de regul. iur. et l. 4. ff. de postulationibus. Merito igitur id statutum est, ne aliqui sui ornatus splendore, pulchritudine vultus, ac verborum fallaci melodia, iudicum animam perverterent. Si enim foedissimum Holofernes, ex solo aspectu sandaliae Iudith, amore eius captus fuit (Iudith 15): *Sandaliae rapuerunt animam eius, facile quidem Iudith mulieris foeminarum mundo, pulchritudine et verborum suavitate illaquearentur, et iustitiae iura perirent. Nec etiam me lateat, in eodem iure disponi, ut constat ex l. domesticus, C. de assess. et domest. ne filius, servus, aut quaecunque alia persona domesticae advocandi officium subeat, in causa, in qua patet, aut dominus illius familiae iudex est. Quam legem cum ratione coniunctam esse, utique vel illud unum satis persuadet, quod amoris affectus, velut falsa ocellaria, multo aliter res facit apparere, quam reipsa sint. Iesus autem omnes has leges infringens, vult pulcherrimum omnium foeminarum Mariam, et sibi omnium maxime domesticam, utpole matrem, a quo conceptus, natus, enutritus, et educatus fuit, in advocatricem peccatorum destinare: ut sic et pulchritudine, et amore, et precum dulcedine tanta matris affectus, facilius ad nostras sublevandas miseriae fluctaret, et impensis spiritualibus, ac temporalibus nostris commodis incubaret. Addo deinde, quod si in causis pupillorum, et orphanorum, similiumque aliorum pauperum, foeminis adlocare, et suffragari permisum est in iure, ut habetur 3. quaest. 6. cap. sunt autem, cum nemo magis orphanus, et miser quam peccator, unde angelus (Apoc. 3) ei dixit: *Nescis, quia miser es, et miserabilis, pauper, et coecus?* et Bersabee (3. Reg. 1) dixit: *Erimus ego, et filius meus peccatores*, vel ut alia versio habet: *E-**

rimus pauperes, utique decebat Virginem in hoc officium advocatæ a Deo designari. Quod, ut auctor est Plutarchus (*tractatus de magnificentia*), moris fuit apud Romanos, singularem aliquam personam piam a Senatu designari certis stans stipendiis, ut in pauperum causis advocaret, eisque patrocinaretur; et nunc quoque in l. nec quispiam, ff. de offic. Procons. idem statuitur; rationi consentaneum erat, ut in coelestis curia non deficeret advocata, quæ peccatoribus suffragaretur, et divinam iracundiam longe ab eis averteret. Unde egregie divus Bernardus (*ser. de nativ. Virg.*) dixit: *Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus ad filium fugiebas: Iesum tibi dedit mediatorem: quid non apud talem patrem filius talis obtineat? exaudiat utique pro reverentia sua: pater enim diligit filium. An vero trepidus et ad ipsum accedere? frater tuus, et caro tua, tentatus per omnia obsequio peccato, ut misericors fieret, hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan, et in ipso matrem vereare divinam? quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad ipsum? ad Mariam recurrere: pura siquidem humanitas in Maria non modo pura ab omni contaminatione, sed et pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique matrem filius, et exaudiet filium pater. Memini, quod huic argumento mirifice facit exemplum, quod Valerius Maximus in hæc verba refert: Coriolanus maximi viri animi, et altissimi consilii, optimeque de republica meritis, iniquissimæ damnationis ruina prostratus, ad Volscos, infestos tunc Romanis confugit. Magno utique pretio virtus aestimatur. Itaque quod latebras quaesivit generalis, ibi brevi summum adeptus est imperium. Eevenitque, ut quem pro se salutarem imperatorem cives habere noluerunt, pene pestiferum adversus se duces experirentur. Frequenter enim fuis exerebitibus nostris victoriam suarum gradibus aditum iuxta moenia urbis Volseo militi struxit. Quapropter fastidiosus ille in astimandis bonis suis populis, qui reo non pepercit, exultans conatus est supplicare. Missi ad eum deprecandum legati, nihil profecerunt: missi deinde sacerdotes cum infans, aequæ sine effectu redierunt. Stupebat patrem sensus, trepidabat populus: viri pariter, ac mulieres exitium imminens lamentabantur. Tunc Feturia Coriolani mater, Voluntariam vocem eorum, et liberos secus trahens, Castra Volscorum petiit. Quam ubi filius aspexit: Erypnasti, inquit, et vicisti iram meam: patria, precibus huius admotis, cuius utero te, quameis merito mihi inoisam, dono: continuoque Romanum agrum hostilibus armis liberavit. Ergo pectus dolore acceptæ invidiæ, spe potuendæ victoriæ, verecundiæ detractandi ministerii, metu mortis refertum totum sibi pictas superavit unusque parentis aspectus, bellum atroæ salutari pace mulsit.*

Hanc Virginis protectionem non obscure indicant, si platanum metaphoram penetremus, verba illa, quibus Salomon in persona Virginis utitur (*Ecl. 24*): *Sicut platanus exaltata sum, etc.* Etenim præterquam platanum folia figuram elypei portandam, quod symbolum

est protectionis, et quot folia, tot scula habere videtur; illa est notissima huius arboris commendatio, quod aestate ab infestatione radiorum solarium homines protegit, hyeme illos admittit: habet namque folia ita inter se connexa, et intexta, ut sub umbra illius quiescentes tempore aestatis, radii solares minime offendere queant; hyeme tamen accedente, folia illa inter se connexa se ad invicem explicant, et separantur, ut radiis solaribus facilis pateat aditus ad focundandas suo calore radices eius. Haec duplex platanum proprietates, duplex pietissimæ Virginis officium, quo erga nos utitur, egregie adumbrat. Ipsa enim tempore aestatis, divinæ iracundiæ, velut platanus se interponit, ne radii divinæ vindictæ peccatores offendat. Tempore etiam hyemis, cum dura peccatorum corda frigescent, ipsa viam parat, et iter pandit, quo radii solares divinæ misericordiæ, velut ceram, rebelles eorum voluntates emolliant, ut dignos poenitentiam fructus faciant. Indicat etiam eandem Virginis protectionem communis illæ lunæ appellatio, quæ beata Virgo *pulehra* ut luna cognoscitur solet. Dicunt astrologi, et Albumazar, quod si luna nocte omnino non radiaret, vapores ascendentes de terra adeo condensarentur, ut animalia respirantia suffocarentur. Non dissimiliter Maria quasi luna conservat hominibus vitam spiritualem. Quis enim est, qui non sentiat continuo vapores de terra cordis sui ascendere, quibus fere spiritus hominis suffocantur? Vapores namque inanis gloriæ surgunt ex sanguine: tristitiæ ex melancholia: ignaviae ex phlegmate: iracundiæ ex cholera. Ex his vaporibus surgentibus, mirum est, quod non suffocantur spiritus vitalis animæ: solum eis obstat, quod dicit Abacuch: *sol, et luna, idest Christus, et Maria, steterunt in tabernaculo suo, idest in coelo, vitam gratiæ hominibus conservantes.*

Porro munus hoc advocatæ Virgini collatum, licet tempore gratiæ cooperit clarior manifestari, adeo tamen perversum est, ut antequam procrearetur, iam in Dei conspectu illud exerceat. Quod quantumvis mirabile, ac difficile videatur, multis argumentis adstruimus. In primis Galatinus (*l. 7. de Arcan.*) refert, quod fidei celeberrimus Rabbini Accaba-dus in libro, cuius inscriptio est: *Revelator arcanorum*, in sexta interrogatione, in qua Antonius consul ab eo rationem petierat, ob quam Deus populum Israeliticum, aliqui quæpe idololatram, et non semel Dei detractorem, multique aliis peccatis infectum in populum sibi charum eligeret? Respondit, quod videns Deus ex Israel exidendam esse, velut petram primariam, Mariam, ex qua Messias futurus erat, qui misericordias suas extenderet per universum orbem, idecirco charum illum habebat populum, et Israel pater vocari volebat. Ecce quomodo, antequam esset beata Virgo, Deus intulit illius populo Israelitico beneficia conferebat. Deinde Gregorius Venetus (*in harmonia mundi, cant. 1. tom. 5. cap. 7*) refert, Hebraeos inlæc sacra sua arcanâ hoc memorandam tradere, semper ante faciem summi Imperatoris assistere quandam creaturam reli-

quis omnibus excellentiorem, quam *mitralon* appellabant, idest, *principem facierum*, quia semper assistat ante tribunal Christi Domini duplicem faciem habentis, Dei scilicet, et hominis: potestatemque habet, reliquos ad divinam faciem intuendam introduci. Hanc autem creaturam esse beatam Virginem, ex eorundem observatione non obscure potest colligi, dum aliud literas, ex quibus constat hoc nomen, *Mitralon*, conficere numerum, *nongentorum nonginta novem*; quem eundem numerum reddunt literæ nominis, *Mariæ*. Tam autem grata Virginis intercessio apud Deum esse perhibetur, quam verba illa indicant (*Cant. 4*): *Favus distillans, labia tua, sponsa: mel, et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*. Allogitur hic Christus in coelo gloriosus b. Virginem, dum precibus suis munus advocatæ pro nobis gerit. Unde perinde est, ac si diceret: dum precibus tuis o Virgo, et mater mihi dilectissima, peccatoribus veniam, et gratiam a me iteris impetras, labia tua mihi videtur favus distillans, dulcissimum mel gratiæ, quam ex meis contraxisti labiis, cum ea decuscularis: distillans etiam lac, quod mihi ministrasti ubere de coelo pleno. Mel enim hoc et suavisissimum lac sub lingua tua servas proferendum: distillans vero illud, in memoriam mihi revocans precibus tuis, quas a me suscepisti gratias, et quæ mihi ministeria, me educando, exhibueris. Quid dicam de fragrantia tuorum vestimentorum, decore scilicet, et fortitudine, iuxta illud (*Proverb. 31*): *Fortitudo, et decor indumentum eius? Sane orum suavolentia me vincit: Odor namque vestimentorum tuorum, sicut odor thuris: quia sicut huiusmodi odor, quem sacerdos in altari adolet, placere me solet contra sceleratos commotum, efficacius odore istorum vestimentorum tuorum, quibus præcincta, dulcem precibus tuis vim mihi infers, placabor erga peccatores, pro quibus mihi illas effundis. Ac tandem d. Hieron. (*lib. 5. cap. 19 contra Valentinum*) expresse affirmat, Mariam advocatam fuisse Evæ. Censet ergo a primordiis mundi Mariam officium advocatæ in die præconceptionis exercuisse. Non ergo adeo videri debet alienum, si hanc suam advocatam Eva non solum habuisse dicatur, sed etiam eandem in spiritu cognovisse, immo et desiderasse credatur. Etenim ex promissionis Dei verbis haud obscure percepti, venturam talem aliquando mulierem, quæ cum suo benedicto semine nequissimi serpentis contereret caput, atque lapsam genus humanum, idcirco utrumque sexum erigeret, restitueretque. Hæc fide suffulta Eva, et mariti oratione haud dubie confirmata, cum in sui Redemptoris matrem eminus intueretur, quæ summa illi proculdubio consolatio fuit, an non illam pro advocata sua suspexit, ac licet absente, multumque remorata merito venerata est? In quem sensum dixit etiam Epiphanius (*orat. de laud. S. Mariæ Deip.*): *Angeli accusabant Evam, nunc vero Mariam gloria prosequuntur; quæ mulierum infirmitatem cere gloriosam reddidit, quæ lapsam Evam erexit. Obmutescat igitur impies Chemitius temere effluens, absurdum videri, si Maria ferme quatuor mille an-**

nis post primorum hominum lapsum condita, Evæ advocata dicatur: quandoquidem nondum natus, pro Eva non potuerit Deum invocare: *Quis igitur, inquit, per febrim somnabit, Evam tunc, cum esset Virgo, invocasse Mariam advocatam suam, quæ nondum nata erat? At mihi Chemitius, quasi per febrim hic somnare videtur, cum ex munere advocati, vel advocatæ invocationem necessariam colligit: velut hæc duo sint inseparabilia, advocatam agere, et invocare. Quod autem hæc disingui queant, etiam Valla severus latine lingue censor adnotavit, multoque rectius ille Grammaticus, quam Chemitius theologus indicat, cum in hunc modum scribit: *Quicumque alteri adest in causa, officii gratia, advocatus appellatur, etiam si nihil dicat, neque agat. Unde Chemitius advertere debuisset Mariam in hoc divinitus electam, et per Gabrielem angelum vocatam fuisse, ut sciens, et volens, mater fieret Emmanuelis, ac eo ipso, non Evæ tantummodo, sed et omnium mortalium causam ageret, et redemptionem humanam in Christo complendam fidelissimè procuraret. Procurantis autem vix illa fuit, quæ summa, et fide, et charitate constabat, et orbi redimendo, quasi fundamenta præstruendo (*Luc. 1*): *Eccc ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Confirmat hæc omnia noster sanctus Bernardus (*ser. 61. de Virg. bn.*) his verbis: *Hæc benedicta puella in lumbis erat Adæ, secundum seminalem rationem; potentiamque produendæ puellæ in primis parentibus impressa erat, donec educeretur in actum. De ipsa namque nasci debebat Dei filius Iesus Christus, qui secundum corpulentam substantiam in Adam existens, erat solum de Virgine, et de nulla aliâ educendus. Indulsit ergo misericors Deus primis parentibus, neque eos annihilavit, quia sic non fuisset exorte beata Virgo; nec per consequens Christus, sive Deus carnem vestisset humanam. Ergo propter istam nobilem creaturam Deus salvavit parentes primos de prima eorum transgressione: Næ diluvio inundante: Abraham de Hæc Chaldaeorum: Isaac de Isaac: Jacob de Esau: Iudaicum populum de Aegypto, de impiâ Pharaonis manu, et de mari rubro, de manibus diversorum regum, et tyrannorum, scilicet Nabuchodonosor, de captivitate Babylonis, et Assyriorum: Davidem de leone, et ursis, de gigante Goliath, et de Saule infestissimo eius hoste. Et ut brevi sermone cuncta comprehendam, omnes liberationes, et indulgentias factas in veteri testamento, non ambigo Deum fecisse solum propter huius benedictæ puellæ reverentiam, et amorem, quibus cum Deus in æterna sua prædestinatione honorandam cunctis operibus suis ab æterno præordinavit.****

Ad munus itaque advocandi, et intercedendi tria præcipue desiderantur, quæ necesse est, non desiderantur: potestas, prudentia, et voluntas: quæ tria, quia antiquus auctor Pomerius (*serm. de beata Virg.*) pie licet, aliqui humilii stylo prosequatur, eius verba hic apponenda censeo: sic enim ait: *Primo Maria habet maximum posse in curia celestis regis, tum propter cognationem, quia est mater regis, et itæo nihil ei potest denegare, iuxta illud:*

*Pete mater quod vis, neque enim fas est, ut avertam faciem meam; tun etiam propter complacitiam, et dilectionem, quia ipsa beata Virgo prae cunctis beatiss, et creaturis diligitur a rege Christo; tum propter obsequia et exhibita, quae si apud regem aliquem multum possunt, et merentur, qui multum reverentur illi, certe Maria super omnes gratissima erit, quae plurimam servitio impendit Christo. Hinc Anselmus (de Concept. Virg. cap. 12) dixit: Scimus beatam Virginem tanti esse meriti, et gratiae apud Deum, ut nihil eorum, quae velit effecere, possint aliquatenus effectu carere. Secundo, ipsa beata Virgo habet summam prudentiam, et scientiam, utpote illuminatissima, quia Maria illuminata interpretatur, secundum Hieronymum; et ideo novit nostri misereri, quia scit omnes defectus nostros, et pericula, ac necessitates. Scit insuper Deum prudentissime inclinare ad misericordiam, et reconciliare, ac iram eius avertere. Quapropter ipsa figurata est per Abigail, quae scribitur fuisse mulier prudentissima, et quod occurrit velociter ipsi Davidi irato cum numeribus, eiusque iram mitigavit, et prudenti placavit, ne occideret Nabal pessimus. Nota autem, quod ipsa prudentissima Abigail legitur, sex genera numerum obtulisse Davidi ira commoto, quibus eundem placare studuit. Primo obtulit panes: secundo vini utres: tertio coctos arietes: quarto sata polenta, idest, mensuras, vel modios accuratissimae farinae: quinto ligaturas uvae passae: sexto missas caricarum, idest fenum. Ha spiritualiter haec prudentissima mediatrix, et reconciliatrix nostra Maria sex genera offert, allegando, et intercedendo pro nobis apud Christum, quae significatur per oblata Davidi, ne aeterna morte nos pessimos peccatores occidat. Primo panem, idest carnem Christi, qui est panis vitae. Secundo offert vinum, per quod significatur sanguis Christi, quem effudit pro nobis in cruce, quia ex vino sanguis Christi conficitur in calice. Tertio offert arietes coctos, per quos significantur obsequia Mariae in operibus misericordiae, circa Christum exhibitis, alendo illum, portando, fovendo, balseando, etc. Nam aries misericordiam significat, quia sua, quae habet, idest lanam, carnem, et pellem, in usus hominum erogat. Quarto offert sata polentae, idest dolorem, et compassionem, quam ipsa sustinuit in Christi nece. Sicut enim sata polentae, idest, farina multum est contrita, et mollita, ita vehementer beatae Virginis anima fuit moeroribus atrita in Christi passione. Quinto offert ligaturas uvae passae, per quod significatur amoris dulcedo, quo cor Mariae fuit alligatum, et unicum per affectum maternum ipsi dulcissimo Iesu. Sexto offert ficus, per quod delineatur fides Mariae formata: sicut enim ficus habet plura grana, et dulcem humorem, ita fides in Maria multa meritoria opera in dulcedine charitatis facta: Fides namque sine operibus mortua est. Sic ergo sapientissime Maria pro nobis per singula haec intercedendo, in hunc modum deprecatur: Memento dulcissime fili Iesu, quia ego dedi tibi carnem, et sanguinem, quem effudisti in cruce pro peccatoribus: memento doloris, et compas-*

*sionis meae sub cruce, nec non amoris, quem habui ad te, fidei, ac omnium meritorum meorum, et propter me parce hinc recurrenti ad me. Ecce ergo habet Maria, primo scire placare, secundo posse, tertio fideliter velle, et optare ex eius indita divinitus pietate, ut nostri miseretur. Unde divus Bernardus ait: Non deest Mariae potestas, quia mater est omnipotentiae: nec impetrandi industria, quia mater est sapientiae: nec voluntas, quia mater est misericordiae; haec enim ille. Quae sane non ignorans s. Ephrem Diaconus, de sanctissimae Dei matris laudibus, advocat Mariam in haec verba invocat: *Ex ulnis equidem maternis tibi, Domina mea, deditus sum miserabilis, et cliens tuus vocatus sum, ne malevolus satanas me ad infernas portas abducat. Tu enim meus portus, o Virgo inviolata, et praesens auxiliatrix. Denique sub tutela, et protectione tua totus sum. Crebris lacrymis, o celeberrima mater imploro, et adorator tibi Domina mea, suppliciter clamans, ne dulcis filius tuus, et vitae omnium dator ob multa, quae patravi scelera, tollat me de medio, et miseram animam, cui leo, diripiat, vel ut sterilem fenum, inflicam me excidat; sed obsecro, ut Christum meum adcam, et sub cura cultus illas beatorum, ubi non sunt lacrymae, non vexatio, non molestia, non mors, non tormenta, non locorum angustiae, sed lactitia inezhausta, voluptas iustorum, deliciae, et exultatio, gloria, et splendor, quem nobis praestare dignetur, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.**

#### HOMILIA XVII.

*Prosequimur magnitudinem potentiae reginae Mariae ad benefaciendum, implorantibus eius auxilium; pariterque ostendimus, quotquot salvantur, aut coelestia charismata recipiunt, vel certe a malis liberantur, id totum median- te Virginis intercessione sibi divinitus praestari.*

Exordior ab ea figura reginae Esther, a sacris doctoribus frequenter decantata, quae reginae Mariae miram potentiam in subveniendo generi humano egregie umbrat. Legimus in libro Esther, tyrannum Amanem a rege Assuero obtinuisse, ut totum Hebraeorum genus gladio interiret: *Litterae signatae ipsius annulo missae sunt per cursores regis ad universas provincias, ut occiderent, atque deleverent omnes Iudaeos, a puero usque ad senem, parvulos, et mulieres uno die, hoc est, tertio decimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, et bona eorum diriperent.* Mardocheus autem, cui huiusmodi litterae valde displicuerant, sacco indutus, ac cinere consperso capite, lugens egressus est per plateas, et reginam Esther adiit, dicens ei (Esth. 4): *Loquere regi pro nobis, et libera nos de morte.* Illa vero pro sua pietate,

eius precibus annuens, cum primum ingressa est ad regem, ille dixit ei (Esth. 15): *Quae est petitio tua Esther, ut detur tibi, et quid vis fieri, etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Ad quem illa respondit: *Si inveniam gratiam in oculis tuis, o rex, et si tibi placeat, dona mihi animam meam pro qua rogo, et populum meum, pro quo obsecro.* Fuit haec petitio reginae Esther efficax adeo, ut confesim rex latam sententiam adversus Hebraeos publice edicto revocaret: in quo inter alia haec verba dixit: *Eas litteras, quas sub nomine nostro ille, scilicet Aman, direxerat, sciatis esse irritas.* Nunc ad rem nostram accedam. Aman, qui secundum divum Hieronymum (de nominib. Hebr.) interpretatur iniquus, seu coangustans, et comprimens, communem humani generis hostem designat, qui peccatoribus misericordiam Dei coangustat, et comprimit, adeo ut non semel in desperationis barathrum misere detradat. Mardocheus autem, qui secundum eundem Hieronymum idem pollet, quod amare conterens, vel amare contritio, peccatorem poenitentem, et contritum ad reginam Mariam confugientem, ut pro se, et pro reliquis peccatoribus intercedat, non obscure significat. Regina deinde Esther liberationem populi sui a rege postulans, et impetrans, reginam Mariam aperte refert, quae pro peccatoribus intercedens, sententiam mortis a supremo rege contra eos latam, revocare facit. Assuerus autem rex, quem Esther deprecabatur, ut auctor est idem divus Hieronymus, cum significet, beatitudinis Dominum, manifestissime delineat Iesum Christum gloriae Dominum, et beatitudinis dispensatorem. Quemadmodum autem Assuerus dixit reginae Esther (c. 15): *Si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis;* ita beatae Virginis non verbis, sed re ipsa dimidium sui regni Christus Dominus impertivit. Etenim ex iustitia et misericordia roboratur regnum Dei, ut David testatur (Psal. 61): *Quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia;* ex his autem Deus reservans sibi iustitiam, misericordiam Virgini communicavit. Unde si de Caesare dictum est:

Divinum imperium cum Iove Caesar habet:

potiori iure nobis licebit dicere:

Divinum imperium cum patre mater habet.

Huc etiam facit, quod sapiens illa mulier Thecutes, quae ad David venit, et historiam contexit de duobus filiis in agro corrixantibus, quorum alter alterum interfecit, suisque precibus interfectorem ad mortem damnatum liberavit, beatissima Virgo advocata nostra sic Deo causam hominum proposuit: *Advocata sum peccatorum, mater iustorum, audiri debeo: neque enim inaudita parte, sententia ferenda est. Duos filios habeo, alterum naturalem, eisi supernaturaliter conceptum, alterum adoptivum. Hi corrixati sunt in agro huius mundi, et impius interfecit iustum, Cain Abel, peccator Deum, qui revera mortuus non fuisset, nisi propter delicta nostra. Ardenter cupio, ait*

*b. Virgo, ut illa altera Thecutes, ne extingatur scintilla, quae relicta est filii adoptivi. Tunc misericos Dominus Mariae precibus inclinat, ne misericordiae mater absque nullis liberis maneat, decernit, ne filius adoptivus moriatur. Eandem etiam reginae Mariae potentiam in miseris nostris sublevantibus praeculare mihi adumbrasse videtur insignis illa pulchrae Rebeccae historia. Illa enim, cum agnovisset Isaac voce filium suum Esau, ut ultimam benedictionem ei impertiret (Genes. 27): *Affer, ut comedam, et benedicat tibi anima mea:* continuo filio suo Jacob ipsa dixit: *Nunc ergo filii mi acquiesce consiliis meis, et affer cibum patri tuo, et benedicat tibi praeusquam moriatur.* Cui consilio Jacob acquiescit, sed pelliculis haedinis manus cooperiens, iuxta Rebeccae intensionem, ut pilosas manus fratris sui Esau simularet, illam benedictionem a patre obtinuit: *Det tibi Deus de rore caeli, et de pinguedine terrae, abundantiam frumenti, et vini.* Non dissimiliter, cum divinus Isaac Christus Dominus omnibus iustus promiserit coelestem illam benedictionem (Luc. 11): *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod paratum est vobis a constitutione mundi,* b. Virgo, ut illam obtineamus, tam intercessione, tum consiliis suis hortatur fideles, quamvis peccatores, Christo inservire. Quare non dubito, quin praedestinati omnes per eius preces aeternam benedictionem adipiscantur. Quod sane non obscure mihi docuisse videtur Ecclesia catholica, dum in celebri illo Cant. *Salve regina,* ab ea postulat ostendi sibi Christum Dominum in gloria triumphantem, ut eo fruatur dicens: *Et Iesum benedictum fructum virginis tui nobis post hoc exitum ostende.* O miram, et inauditam potentiam, quod cum proprium sit Patris aeterni ostendere filium: unde David dicebat (Psal. 79): *Ostende faciem tuam, et salvi erimus, Filium Dei appellat Faciem,* quia imago est bonitatis illius. Quare ipse Moysi postulantibus ab eo, ut ostenderet sibi faciem suam, dixit (Exod. 33): *Ostendam tibi omne bonum:* nihilo secius Ecclesia salutar tantam esse potentiam Virginis, ut quod Deo per naturam competit, id Mariae per gratiam conveniat, quatenus interpellans pro nobis, ut remissione peccatorum accepta, ipse filius post obitum nostrum, faciem suam nobis delegat; ipsa Deipara vero dicatur ostendere nobis post hoc exitum filium suum. Quo munere per multa retro tempora profancliam illam intueor: nam parvulum in cubilibus ostendit Christum pastoribus in Bethlehem: deinde post tredecim dies a natali eius eundem infantulum tribus regibus Magis videndum, et adorandum obtulit: eundem praeterea in templo sine Simeoni manifestavit: eundem architrinico, et invitatis in nuptiis Canae Gallilaeae prodigia praetantem exhibuit: eundem iuxta crucem in Calvario Patri, angelis, et universo orbi videndum, et diligendum obtulit: ac tandem nunc in coelis gloriosum ostendit filium his, quos sua intercessione salvos facit. Etenim sicut Deus fecit illam gratiae thesaurariam, ita bonorum omnium spirituum, etiam ipsius gloriae dispensatricem. Unde cum Romae, ubi haec scribimus, refe-*

rendariae, et cancellariae, munera maxime vi-  
geant, quibus magni momenti negotia, tam  
iustitiae, quam gratiae, ut vocant, expediun-  
tur; non abs erit, haec in Virginem con-  
vertere. Aperte enim in primis dixerim beatam  
Virginem, *Referendariam* esse in curia summi  
pontificis Christi Domini, quae a peccato-  
ribus supplicationes accipiens, eisdem ei praesen-  
tatur, dicens illi (*Luc. 1*): *Fiat mihi secundum  
verbum tuum*. Illo autem dicente: quod-  
nam est hoc verbum? non aliud ipsa respon-  
det, quam, quod mihi curiam coelestem in-  
gredienti, dixisti (*3. Reg. 2*): *Pete mater mea a  
me quod vis: neque enim fas est, ut avertam  
faciem tuam*: quae audiens Christus Dominus,  
scilicet signat supplicationes per *Fiat*: ac sic  
signatas peccatoribus restituit ad eorum mis-  
eriam sublevandum, quia ipsa est mater illa,  
de qua dicitur (*Proc. ult.*): *Manus suas aper-  
uit inopi, et palmas suas extendit ad paupe-  
rem*. Gerit etiam beata Virgo in coelesti curia  
*cancellariae* munus. In cancellaria enim  
summi pontificis tria genera literarum moris  
est expediti: quaedam sunt simplicis iustitiae:  
aliae sunt purae gratiae: tertiae vero mixtae,  
quae partim iustitiae, partim gratiae esse cen-  
sentur. Non dissimiliter in coelesti curia spiri-  
tualium quandam cancellariam contempletur,  
in qua similes literae expediuntur: ad Michael-  
em archangelum spectat, literas purae iustitiae  
expedire. Ad quod significantium Ecclesia  
catholica consuevit illum stateram manu  
tenentem depingere, qua merita, et demerita  
animarum ponderare significat: ut enim ait  
Salomon (*Proverb. 16*): *Pondus, et statera iudicia  
Domini sunt*. Ad Petrum autem apostolum  
coeli ianitorum pertinet, literas mixtas  
iustitiae, et misericordiae expedit: adulti e-  
nim, qui, divina gratia adiuvante, per propria  
opera salvantur, clave iustitiae regnum coelorum  
eis aperit, qui cum Paulo (*2. Tim. 4*)  
dicere possunt: *Deposita est mihi corona iustitiae*.  
Unde (*ad Roman. 3*): *Ei autem, qui operatur,  
merces non imputatur secundum gratiam,  
sed secundum debitum*. Aliis vero, qui operibus  
carent, ut infantem, et qui grandiores effec-  
ti, iudicio semper caruerunt, alia clave, non  
iustitiae, sed gratiae, clausas paradisi portas  
reserat. Beata autem Virgo, quae supremam  
cancellariae munus gerit, literas purae gra-  
tiae, et misericordiae expedit, quia mater gra-  
tiae, et misericordiae esse perhibetur, ut Ec-  
clesia catholica quotidie canit. Huiusmodi e-  
nim literas purae gratiae obtinere, cum alio-  
quin nec iure iustitiae, aut fidelitatis essent a  
Deo optimo maximo debitae, sed ex pura li-  
beralitate, pura munificentia, ac mera summi  
largitoris gratia omnino pendent, magnam beati-  
ssimae Virginis potentiam commendat; et  
quam multum apud Dominum eius interces-  
sio valeat, aperte demonstrat. Et quidem si  
Salomon ad commendationem divinae potentiae  
dixit, corda potentissimorum principum  
ita in manu eius esse, ut quocumque velit,  
possit illa intorque (*Proc. 21*): *Cor regis in  
manu Domini, quocumque velit, inclinabit illud*.  
Quomodo non valde miranda erit Mariae po-  
tentia, in cuius manu, non cor solum regis

creati, sed et increati positum esse novimus,  
ut quocumque voluerit, illud inclinet, et fle-  
ctat? Unde beatus Petrus Damianus cardinalis  
(*serm. 1. de Nativ. Beat. Virg.*) dixit: *Quid tibi  
negabitur, Maria, cui negatum non est, Theophilum  
de ipsis perditionibus facibus revocare? infelicem  
animulam, totum illud, quod in te factum est,  
proprio caractere denegantem de luto facies,  
impossibile, cui possibile est, desperatos in spem  
beatitudinis relevare*. Nec dissimilis est locus  
apud Gregorium Nicomediae Archiepiscopum,  
ut qui matrem Domini hoc sermone compellat  
(*orat. de exit. Beatae Virg.*): *Nihil tuae resistit  
potentiae, nihil repugnat tuis viribus: omnia  
cedunt tuo iussui, omnia tuo obediunt imperio,  
omnia tuae potestati servantur*. Quod si,  
ut auctor est Rufinus (*libro 10. Eccl. histor.*), et  
alii vitam Constantini pertractantes, hic Imperator  
tanti habuit Helenam matrem suam, ut  
postulata ei faceret regis thesauri utendi pro  
suo arbitratu; nemo sanae mentis dubitabit  
Christum Dominum, utpote Constantino multo  
magnificentiore, amplam facultatem imperit-  
tisse matri suae, ut ad libitum suum de lo-  
cupletissimo suae divinae misericordiae aera-  
rio quibuscumque dispensare possit. Nec haec  
incredibilia videri debent: nam si iusto in tem-  
poris credenti omnia sunt possibilia, ut veritas  
ipsa testatur (*Mar. 9*): cur non matri Domini  
amplissimum fidei fructum in coelis posside-  
nti tantumdem attribuat? habet namque illa  
prae ceteris beatis *mensuram bonam, et confer-  
tam, et coagulatam, et superfluentem*, in si-  
nu suo reconditam: ut hinc etiam, si cum di-  
vo Bernardo loqui fas est (*serm. 1. de Assum.  
Beat. Virg.*), *dare hominibus dona possit, sed  
non sicut ille, immo ducet, et praestante illo,  
de quo scriptum legitur: Ascendens in altum  
captivam duxit captivitatem: dedit dona homini-  
bus*. Etenim non solum his, qui conferunt,  
sed etiam, qui procurant, et qualicumque ra-  
tione impetrant nobis beneficium aliquod, i-  
dem etiam dare, vel conferre dicuntur, ma-  
gnasque illis gratias merito agimus.

Accedit ad haec, quod et Virginis poten-  
tiam pariter, et pietatem, et liberalitatem o-  
stentat, nimirum omnia quaecumque bona de  
mapa Dei suscipimus, beatissimae Virginis in-  
tercessionis, et precibus deberi. Unde non abs-  
que mysterio Abacuch vocavit beatam Vir-  
ginem, *Austrum*, dicens: *Deus ab Austro venit*.  
Scio sanctae linguae peritos dicere, *Austrum*  
idem esse in Hebraeo, quod *Theman*, quod  
interpretatur *dextrum*; per quod apte intelli-  
gitur innocentia beatae Virginis, quae ab in-  
stanti suae conceptionis semper fuit a dextris  
Dei, nunquam a sinistris, ubi peccatores lo-  
cantur. Divus tamen Hieronymus nostro argu-  
mento accommodatus, ut auctor est Rabisius  
(*in comm. hui. loc.*) dixit: *Auster est pincerna  
pluviarum*, ac si diceret: *Auster instat deserti  
pincernae pluvias distribuit, necessitatibus sub-  
limium rerum accommodatas*. Etenim cum hic  
ventus perfrat, nubes congelantur, coelum pluit,  
arida terra foecundatur, plantae nutriuntur,  
arbores frondent, ac tandem praeta miris viro-  
re decorantur. Non dissimiliter beata Virgo,

velut coelestis Auster, pincerna coelestium plu-  
viarum censori debet, cum pro nobis interce-  
dens, toti misericordiarum pluviae in nos de-  
scendant, quod nostrae sunt indigentiae, et mis-  
eriae. Huc etiam facit, quod Sponsus in suo  
epitalamio Virginem alloquens, ait (*Cant. 4*):  
*Sicut turris David collum tuum, quae aedifi-  
cata est cum propugnaculis: mille clipei pende-  
nt ex ea*. Quibus verbis duo praeclara be-  
nevolentiae, et intercessionis Mariae symbola  
nobis proponuntur. Primum symbolum est colli,  
per quod satis tritum est significari, quod  
sicut per collum influxus capitis reliquis cor-  
poris membris derivantur; ita per Virginem,  
velut per mysticum collum, quolquot gratiae,  
et praesidia hominibus communicantur, a Christo  
capite in eos transfunduntur. Secundum  
symbolum est turris, quia ad Virginem, tan-  
quam ad tutissimam turrim, omnes fideles cum  
ad hostibus instentur, sese salutis causa re-  
cipiunt. Illa munia est fortissimis propugna-  
culis, hoc est, praesentissimis in omni tenta-  
tionum, et persecutionum genere praesidiis:  
*Mille clipei pendunt ex ea, omnis armatura for-  
tium*; non solum, quia mille protectionum ge-  
nera intercessione Virginis continentur, propter  
quam multa etiam invocationum genera  
promeruit; sed etiam quia quolquot fortissimi  
militae, ac duces in Ecclesia extiterunt, victo-  
rias suas Virgini acceptas referunt, et hodie  
quoque referunt; et ideo arma sua ex huius-  
modi turri, quasi ex tholo suspendunt, hoc  
ipso testantes, se Virginis potissimum benefi-  
cio de hostibus, tum animae, tum corporis  
victoriam reportasse. Unde merito alii trans-  
ferunt ex Hebraeo: *Quae constructa est ad  
disciplinas, sive, quae constructa est ad docen-  
dum transeuntis*, quoniam quicumque ad hanc  
turrim aspexerint, viderintque tam nulla in-  
tercessionis eius monumenta, cognoscent facile  
quantum spei sit in Virginis praesidio collo-  
candum. Quid enim quaeso aliud vident, qui  
templum beatae Virginis ad aquas supias, Lau-  
retanum, et Montisferrati, et alia similia per  
totum orbem dispersa ingrediuntur, quam hu-  
iusmodi clipeos, et armaturam fortium et turri  
suspensam? arma videlicet omnis generis, com-  
pedes, vincula, linteamina mortuorum, quae  
cuncta huius turris praesidia omnibus transeun-  
tibus clarissime testantur. Ac tandem arbitror,  
quod si cogitatione fingamus, beatam Vir-  
ginem aliquid postulare, totamque Curiam coe-  
lestem illi resistere, sicut apud Danieleum u-  
nus angelus alteri resistebat, potentior esse,  
maiorisque efficaciae, et valoris apud Deum,  
Virginis, quam reliquorum Sanctorum omnium  
oratio. Idque ita sentiant sancti Patres infra  
citandi; et dignitati matris Dei maxime est  
consentaneum, nec non perfectissimae gratiae,  
et charitati beatae Virginis, quodammodo de-  
bitum.

Ceterum, ne universam hanc de ineffabili  
Marianae potentiae magnitudine doctrinam,  
quispiam per exaggerationem a me traditam  
suspectet, quaedam sanctorum Patrum testimo-  
nia hic opportune adscribenda censeo, quibus  
palam fiat, non ex nostro Marte, sed ex san-  
ctorum Patrum limpidissimis fontibus doctri-

nam hanc hausisse. In primis ergo d. Germa-  
nus (*de Zon. Domini*) sic Virginem alloquitur:  
*Non est ulla salietas tuae defensionis, non est  
numerus tuorum beneficiorum: nullus enim est,  
qui saltem fiat, nisi per te Virgo sanctissima.*  
*Nemo est, qui liberetur a malis, nisi per te,  
o purissima: nemo est, cui donum concedatur,  
nisi per te, o castissima: nemo est, qui mis-  
ereatur gratia, nisi per te, o honestissima.* Ibi-  
dem etiam ait: *Quis post tuum filium curam  
gerit generis humani sicut tu? quis ita nos de-  
fendit in nostris afflictionibus? quis in suppli-  
cationibus adeo pugnat pro peccatoribus? Tu e-  
nim, cum habes matrem apud filium fidu-  
ciam, et potentiam, non tuis interpellationibus  
et intercessionibus ei effluis familiares, et das  
salutem, et ad aeterno liberas supplicio.* Beatus  
Andreas Hierosolymitanus (oratione de dormi-  
tione Virginis): *Sola, inquit, praeter naturam  
fuit electa ad naturam reovandam: sola deser-  
vit opifici universae naturae: quod infra experi-  
cans, sic loquitur ad Virginem: Rex desideravit  
gloriam tuam pulchritudinis, et adamavit di-  
vitas tuae virginitalis, et in te habitavit, et  
inter nos exiit tabernaculum, et per te Deo, et Pa-  
tri nos reconciliavit.* Similiter sanctus Ephrem  
(*orat. ad Virginem*) inquit: *Per te reconciliatus  
sumus Christo, Deo meo, filio tuo: tu captivorum  
redemptio, tu omnium salus. Ape par, quidam,  
et salus mundi: ave mediatrix gloriosissima: ave  
universi terrarum orbis conciliatrix.* Deinde  
divus Petrus Damianus (*serm. de annunc.*):  
*Exocatur coelestis ille conventus, inquit Deus con-  
cilio, facit Deus sermonem cum angelis de res-  
tauratione eorum, et redemptione hominum; at-  
que statim de thesauro divinitatis Mariae no-  
men evocatur, ac per ipsum, cum ipsa, et in ipsa  
totum hoc faciendum decernitur, ut sicut  
sine ipso nihil factum est, ita sine illa nihil  
refectum sit.* Divus Bonaventura (*in spec. beat.  
Mar.*) saepius hanc docet veritatem, et non-  
nulla ex Scriptura, et sanctis Patribus colligit,  
praesertim (*cap. 8*): *Quia Dominus, inquit, po-  
tentissime tecum est, ideo et tu es potentissima  
apud ipsum, ita ut vere dicere possis illud: In  
Hierusalem potestas mea. Et divus Anselmus  
(*de laud. beat. Virg. cap. 20*) inquit: *Rogamus te  
Domina per ipsam gratiam, qua te pius, et  
omnipotens Deus sic exaltavit, et omnia tecum  
possibilia esse donavit, quatenus id apud ipsum  
impetres, nec sis obsecrati difficilis, quia pro-  
culdubio ideo unigenitus filius tuus Dominus nos-  
ter Iesus Christus erit ad concedendum prom-  
ptissimus.* B. Petrus Damianus (*serm. de nativ.  
Mar.*): *Fecit, inquit, tibi magna qui potens est,  
et data est tibi omnis potestas in caelo, et in  
terra, et nihil tibi impossibile, cui impossibile  
est desperatos in spem beatitudinis relevare.* Quo-  
modo enim illa potestas potentiae tuae poterit  
obviare, nec sis carnis tuae carnis suscepti ori-  
ginem? Accedit enim ad illud aureum reconcili-  
ationis humanae allare, non solum rogans, sed  
etiam imperans: *Domina, non ancilla.* Divus Ber-  
nardus (*serm. de nativ. Mar.*): *Altius ergo in-  
tuamini, quando devotionis affectu a nobis eam  
voluit honorari, qui totus hunc plenitudinem po-  
suit in Maria: ut proinde, si quid spei in no-  
bis est, si quid gratiae, si quid salutis, et ea**

noverimus redundare, quae ascendit delectis affluens: et infra: Totis medullis cordium, totis praecordium affectibus, et votis omnibus Marianam hanc veneremur, quia haec est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Marianam. Ad Patrem verbaris accedere, Iesum tibi dedit mediatorem: allocutam habere vis et ad ipsum? ad Mariam recurrere: exaudietur et ipsa pro reverentia sua: exaudiet utique matrem filius, et exaudiet filium Pater. Fidei haec peccatorum scala, haec maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae. Quid enim? potest ne filius, aut repellere, aut sustinere repulsam? non audire, aut non audiri filius potest? neutrum plane. Et in fine: Mariam quicquid illud est, quod asserere paras, Ceterum commendare memento; ut eodem atque ad largiorem gratiae gratia redeat, quo inflavit: nec enim impotens erat Deus, et sine hoc aquaeductu infundere gratiam, prout vellet; sed tibi vehiculum voluit providere: idoque modicum istud, quod offerre desideras, gratissimis illis, et omni acceptione dignissimis Mariae manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam: et (serm. 3. in vig. nat. Dom.) in fine: Sed quia indignus eras, cui donaretur, datum est Mariae, ut per illam acciperes quicquid haberes, quae per hoc, quod mater est, genuit tibi Deum: per hoc quod Virgo est, exaudita est pro reverentia sua in causa tua, et totius humani generis. Cum ergo in prima sit remedium, in secunda adiutorium est, quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariae manus non transiret: et (serm. 2. in die Pent.) ait: Merito in te, Maria, respiciunt oculi totius creaturae, quia in te, et per te, et de te benigina manus omnipotentis, quicquid creaverat creavit: et (sermone 1. de verb. Apocalyp.) Fidei plane, inquit, et potens mediator Dei, et hominum Christus, sed divinam in eo reverentur homines maiestatem: non solum illi cantatur misericordia, cantatur pariter et iudicium. Iudicium habet potestatem: Deus noster, ignis consumens est. Quid ne vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fuit cera a facie ignis, sic perat ipse a facie Dei? opus est mediatrice ad mediatorem istum, nec alia nobis utilis, quam Maria. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est: et (serm. de natio. Mar.) Virgine appellat, Aquaeductum gratiae. Verba eius sunt haec: Sane ipsa sese plenitudo exhibuit, ut ferret nobis iustitiam, sanctificationem, et redemptio. Derivavit est fons, usque ad nos descendit pro aquaeductum vena illa coelestis. Adveritatis iam, ni fallor, quem velim dicere aquaeductum, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris accipientis nobis edidit illum: novis enim, qui dictum sit: Ave gratia plena. Divus Bernardinus agens de variis stellis, quibus beatae Virginis corona fuit contexta, haec tanti Patris pietate digna de exaltatione Virginis (art. 2. cap. 8) scripsit: A tempore, quo Virgo mater concepit in utero Verbum Dei, quando, ut sic dicam, iurisdictionem, seu auctoritatem obtinuit in omni Spiritus sancti processione temperati; ita quod nulla creatura aliquando a Deo obtinuit gratiam, vel virtutem, nisi secundum ipsius pie matris dispensationem.

Hic dicit Bernardus devotissimus ait: Nulla gratia venit de caelo ad terram, nisi transeat per manus Mariae. Hinc Hieronymus (in serm. de assumpt.) inquit: In Christo fuit plenitudo gratiae, sicut in capite influente, in Maria vero sicut in collo transfundente. Unde de Virgine ad Christum Salomon ait: Coltum tuum, sicut turris eburnea: nam sicut per coltum vitales spiritus a capite descendunt in corpus; sic per Virginis a capite Christi, vitales gratiae, in eius corpus mysticum transfunduntur. Unde iste est ordo divinarum gratiarum defluxus, ut prius a Deo defluant in Christi animam benedictam, deinde in animam Virginis matris: inde in Seraphin, et sic successive in alios Sanctos ordines angelorum; demum in Ecclesiam militantem. Cum enim tota natura divina, totum esse, potest, scire, et velle divinum intra Virginis uterum extiterit clausum, non timo dicere, quod omnium gratiarum effluxus, quod omnium iurisdictionem habuerit haec Virgo, de cuius utero, quasi de quodam divinitatis oceano, rivus, et flumina emanabant omnium gratiarum. Retera maternitas Dei hanc in mundo naturaliter rura obtinuit dignitatem, ut regina misericordiae, et hoc praedictum est, merito nuncupetur: si hoc propter filii magnificentiam, qui est Rex regum, et Dominus dominantium. Reperio namque in rege nostro Iesu duas dignissimas dignitates, videlicet, quod sit aeternus Deus genitus ab aeterno, atque aeternum Deum producat, eo quod Spiritum sanctum spirat, et ipse clausus in virgine utero, in aeternitate a Deo Patre Deus generatur aeternus, et in eadem aeternitate ipse pater in ventre matris Deum inspirat, et producebat. Primam filii dignitatem, scilicet quod sit generatus a Deo, iam infinito modo Virgo Maria participavit, quod Iesus non dicatur verus filius Dei, quam filius Virginis: nec maior, nec minor, nec dignior est Dei filius in throno paterno sedens vestitus claritate, quam habuit antequam mundus ferret, quam pannis pauperibus involutus, et intra foetum in praeseptio reclinatus: et quia talis est mater Filii Dei, qui producit Spiritum sanctum, ideo omnia dona, virtutes, et gratiae ipsius Spiritus sancti, quibus vult, quando vult, quomodo vult, et quantum vult, per manus ipsius administrantur: haec ille. Sed brevis d. Fulgentius (5. mytholog.) omnia nostra bona Virginii, tanquam mediatrici ascribenda censens, inquit: Coelum, et terra iam dudum ruisent, si non Maria precibus sustentasset. Quod quam veraciter dixerit, ex revelatione facta magnis illis duobus patriarchis, Dominico, et Francisco, ut in eorum vita legimus, satis aperte constat. Cum enim hi sancti Patres confirmationem suorum Ordinum a summo Pontifice exire deprecarentur; orationi vacantes, viderunt Christum Dominum in aere tres lanceas contra mundum vibrantem, et quod beata Virgo et accurrens ad pedes eius genua flectens, procidit postulans, quod et obtinuit, ut peccatoribus parceret, et gladium iustitiae in vaginam suae misericordiae mitteret. Confirmat idem ratiocinatio Pomerii (l. 11. serm. de beata Virg. p. 2. c. 1) qui in hunc modum philosophatur: Cum continuo in mundo accrescent nata, iniquitates

et peccata, credidisse, quare parit nunc mundo ipse Deus, qui olim etiam multo his minor peccata acrius punivit, prout in veteri testamento legitur: quod videlicet Sodomitae submersit, totum mundum diluvio delevit: pro esu, et concupiscentia carnum in deserto filios Israel viginti tria millia occidit, et pro multis aliis similibus legimus filios Israel acriter punisse; immo omnem gentem Israeliticam praedictam pro offensis, et legis praevocationibus de terra promissionis perdidisse comperimus. Quomodo credi potest, quod nunc acerbius mundum non flagellaret, et non exterminaret, cum videamus multo pro nunc abundare graviora in mundo peccata? totum hoc facit propter beatam Virginem, et eius merita; haec ille. Nec solum in beata Virgine effulget potentia ad protegendum clientulos suos, sed pariter etiam mira pietas, inaudita liberalitas, et magnificentia regia. Memini Eutropium (lib. 3) referre de Vespasiano filio alterius magi Vespasiani, tam insigni filio liberalitate praeditum, ut nulli quicquam negaret; cumque non semel a famulis suis quodammodo increparetur, quod prodigus esse videretur, respondit, nullum, fristem debere ab imperatore recedere. Simul etiam commemorat, quod cum quadam nocte coenans, recordaretur, se nemini illo die quidquam beneficiam praestitisse, in illa verba prorupit: Perdidi hunc diem. Sane liberalitas Virginis ita perennis est, ut misericordiarum rivi perpetuo ab ea in Ecclesiam copiosissime deriverint: licet enim cessent homines Virginem invocare, ipsa tamen nullum praetermittit diem pro illis intercedere. Unde egregie Dionysius Carthusianus (super Ioann. enarrat. sept.) observavit, ad commendationem Marianae misericordiae, et liberalitatis, quod in nuptiis, in quibus vinum defuit, ipsa non rogata filium rogavit, ut praesenti subveniret necessitati: verba eius sunt haec: Compassa est enim verecundiae sponsi, et sponsae, atque penuriae, seu indigentiae concensuum, piissima, affectuosissima, atque dulcissima Virgo. Et si illorum corpora inopiae condelebat, et succurrebat, etiam non rogata, quanto magis nostrae spirituali indigentiae compatitur, auxiliunq; praebet, si fuerit fideliter invocata? quod utique fecit ubertim, non petito. Cum igitur tanta sit Virginis potentia, et proclivitas ad beneficiandum nobis, merito nos peccatores, qui materiae huius pietatis indigentiores invenimur, in ea, tanquam in potentissima mediatrice, spem nostram collocare debemus: ut et Ecclesia catholica nos facere suadet, dum in percelebri Cantico, Salve Regina, intonare monet Virginem alloquens: vita, dulcedo, spes nostra: immo et ipsa Virgo de se ait (Ecl. 24): Ego mater pulchritudinis, timoris, et sanctae spei. Doctor Thomas (2. 2. q. 17. art. 4) quaerens, an liceat sperare in aliqua creatura, an vero spes nostra solum in Deo collocanda sit? respondet, quod sicut non licet aliquam creaturam, tanquam ultimum finem diligere; ita nec licet in creatura sperare, tanquam in causa prima, et principali: sicut autem creaturas assumit Deus, tanquam instrumenta ad salutem nostram, quarum cooperatione nos dirigit in aeternam salutem, sic licitum est sperare in

creatura. In beata ergo Virgine collocare debemus totam nostram felicitatis aeternae obtinendam spem, non tanquam in principali causa beatitudinis, sed tanquam in adminiculo quodam, et efficacissima mediatrice ad eam adipiscendam. Haec arbitrator singulare mysterium latere huic argumento satis accommodum in eo, quod Sybilla Lybica, cuius meminerit Euripides, et Thegonis, cum vaticinium illud proferret de beata Virgine, viridi corona caput sum cinxit: non quidem argenteo, aureo, vel ex variis gemmis contexto diademate se ornavit, sed viridi, ut significaret spem nostram, per virorem apte significatam, quia viror foliorum spem fructus nobis praebet, in beata Virgine esse collocandam, a qua benedictum fructum ventris eius accepturos sperare debemus. Ad quod verba canit. Salve Regina alundat, dicentia: Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exitum ostende.

Ne autem quispiam propter ingentem multitudinem gravissimorum peccatorum ab hac in Virgine spe, et fiducia cadat, ipsa ait, selectatissimos quoque homines ad eam confugientes minime despicere, aut aspernari, sed singularem pro illis intercedendi memoriam habere (Ps. 88): Memor ero Rahab, et Babylonis scientium me. Pro cuius loci expositione observare oportet, nomine Rahab intelligi superbiae inflatam. Unde ubi nostra Vulgata legit: Humiliasti sicut vulneratum superbum Rahab, ut denotaretur Rabbi David, et Rabbi Abraham. Targum autem Ionathae per hos superbos intelligit Aegyptios ade superbie, ut Deo etiam acriter eos punient colla et subitice renerent. Per Babylonem vero intelligit superbissimos illos turris Babylonicae aedificatores, nemo ambigit, qui omnes, tam Aegyptii, quam Babylonici experientia ipsa scientes fuerunt divini furoris illos submergentes, et confudentes: ideo ait, Scientium me. Cum ergo tam Aegyptii, quam Babylonici atrocissimi fuerint peccatores, ideo ut b. Virgo significaret, omnibus peccatoribus, patrocinium eius implorantibus materio affectu, et congenita sibi divinitus pietate subventuram, consulto Aegyptii, et Babylonis mentionem fecit: Memor ero Rahab, et Babylonis scientium me. Sed ad quid quaeso memor eris illorum? certe ut ex peccatoribus insti fiant; et qui, tanquam infocundae, et sterile terrae, non nisi iniquas, et tribulos, iuxta antiquam maledictionem germinabant, iam non nisi odoriferos flores, ac dulces fructus bonorum operum producant, ut ingeniose adnotavit Rupertus (sup. c. 4. Cantic.) ubi versans illa verba: Emissiones tuae, paradisi, ait: Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum coelestium mundus accepit, emissiones tuae sunt: ut ubi prius erant spinae, et vepres, cardus, lappa, et tribulus, urtica, palustris, vnicersitas nequiarum; ibi sit cyprus cum nardo, crocus, fistula, et cyanomomum, myrrha, et aloë, per quas septem arantissimas species septem dona Spiritus sancti intelligit; et ut significaret, etiam se civitatem esse refugium et iustissimum asylum, ad quem omnes peccatores indiscriminatum secure confugere possint, adiecit

continuo (Psal. 88): *Eccc alienigenae, et Tyrus, et populus Aethiopyum, hi fuerunt illic.* Atque in hoc sensu apte explicari posse censui verba illa Virginis (Cant. 5): *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Posset quispiam merito interrogare: ut quid, si beata Virgo ostentare cupiebat curam, et sollicitudinem suam, intellectum, et voluntatem eius, vigilantes esse non dixit? Sane Aegyptii, ut auctor est Pierius, in symbolum sollicitudinis, et curae, quam reges in republica regimine adhibere debent, virgam, superposito oculo aperto in eius cacamine depingere consueverunt. Ut huic difficultati satisfiat, in memoriam oportet revocare, quod, ut auctor est Alciatus (in suis emblem.), amorem depingebant coecum, vel velatis oculis:

Tela alasque ferens, lumen nulla tenet.

Cuius sane picturae, quamvis nonnulli eam reddiderint rationem, quia amor amantes excoecat, iuxta illud Propertii (2. elegiarum):

Sicilicet insano nemo in amore videt:

et illud Ovidii:

Quid deceat, non videt ullus amans.

Mihi tamen sic amorem depinxisse videtur, ad significandum illum verum, et perfectum amantem censendum, qui clausis oculis absque dispositione meritorum rei dilectae, aut propriae obligationis, ad illi beneficiendum amoris pondere fertur. Qui enim merita discutit, aut obligationes explorat, prudentis quidem, sapientis, aut grati, non tamen veri amantis appellationem meretur. Ut ergo beata Virgo significaret, beneficentiam suam ad omnes extendi, instar solis, qui in bonos, et malos suam lucem diffundit, ideo consulto dixit clausos, et dormientes habere oculos mentis: *Ego dormio: voluntatem vero per cor significatam, in qua residet amor, et cor meum vigilat, vigilantem esse ad succurrendum miseris absque ulla personarum acceptione, quia amor eius operit multitudinem peccatorum.* In hac ergo amantissima matre semper nostram collocantes, Virginis auxilium invocemus, unanimes, cum summo pontifice Innocentio Tertio canentes:

Ave mundi, spes, Maria.  
Ave mitis, Ave pia.  
Ave charitate plena:  
Virgo dulcis, et serena.  
Sancta parens Iesu Christi.  
Electa sola tu fuisi;  
Esse mater sine viro,  
Et lactare modo nitro.  
Angelorum imperatrix.  
Peccatorum consolatrix,  
Consolare me lugentem.  
In peccatis iam foetentem.  
Precor te Regina coeli.  
Me habeto excusatum  
Apud Christum tuum natum:

cui sit honor, et gloria, per infinita saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XVIII.

*Beneficentiam b. Virginis adeo in omnes se diffundere, ut illius participes sint coelestes incolae, viatores omnes, tam fideles, quam infideles: Animae ergastulo purgatorii detentae; immo et nonnulli qui poenas inferni sustinentes, Virginis tamen intercessione ad vitam revocati, facta poenitentia in coelum evolarunt.*

Ea quae scripta invenio (Danielis cap. 4), de arbore illa, quam rex Nabuchodonosor in somnis vidit, mihi ante oculos ponunt, adnussimque exprimunt, quam longe, lateque Deiparae Virginis misericordia, et beneficentia in omnes se diffundat: *Videbam, inquit, et ecce arbor in medio terrae, et altitudo eius nimia. Magna arbor, et fortis: et proceritas eius contingens coelum: aspectus illius erat usque ad terminos universae terrae. Folia eius pulcherrima, et fructus eius nimius: et esca universorum in ea: subter eam habitabant animalia, et bestiae, et in ramis eius conversabantur volucres coeli: et ex ea vivebatur omnis caro. Apte sane Virgo beata, arbor, quae egressa est de radice lesse, in medio terrae constituta appellari potest, cum in Palaestina nata, et educata fuerit, quam medium terrae multi censent, iuxta illud Davidis (Psal. 73): *Operatus est saltem in medio terrae.* Arbor quidem alta, et procerata, quae altitudine meritorum seraphicis spiritus praecellit. Recte etiam et quadrat, aspectum eius extendi usque ad terminos universae terrae, cum in Verbo creaturas omnes, tam supra, quam infra coelos degentes clare perlustrat. Folia eius deinde, verba nimirum quis dicat, non esse pulcherrima, cum illis solum quinque: *Fiat mihi secundum verbum tuum, captus Filius Dei, in aeternum eius descenderit.* Quod autem ait: *fructus eius nimius, et esca universorum in ea, salis superque in Mariam convenit, cum de eximio, et praecelso fructu ventris eius fideles omnes per summptionem Eucharistiae vescantur.* Quod insuper ait, *subter eam habitabant animalia, et bestiae, et in ramis eius conversabantur volucres coeli:* quid aliud insinuat, nisi tam iustos, quam peccatores, tam homines, quam angelos sub eius protectione commorari? Et quidem, ut a beneficentia beatae Virginis erga angelos exordiar, id certum, et indubitatum est, nullo obiecto praeter beatissimam Trinitatem plenus delectari angelos, quam humanitate Christi, et genitricis eius. Haec enim est praecipua, et potissima accidentalis eorum gloria, clara Christi, in quantum homo, et matris eius visione perfrui. Praeter hoc etiam, certe beneficium restorationis sedium eorum per Virginem accepisse auctor est d. Bernardus (serm. 4. de assumpt.), dum ait: *Quis misericordiae tuae, o Virgo benedicta, longitudinem, latitudinem, sublimitatem, et profundum quaerit investigare? nam**

*longitudo eius usque in diem novissimum, in-occupantibus eam subveniet universis. Latitudo eius recipit orbem terrarum, ut tua misericordia plena sit omnis terra; sic et sublimitas eius civitati supernae inveniit restorationem, et profundum eius sedentibus in tenebris, et in umbra mortis obtinuit Redemptorem; haec divus Bernardus: cuius sententiam secutus Idiota nomine, re doctissimus (lib. de Virg. Mar. cap. 4) haec eximia pietate, et eruditione referat nobis conlata reliquit: *Inter omnia opera aeterni officii post illam operationem, qua naturae unitus est filius tuus, speciale opus fuisit, o beatissima Virgo Maria, quia ad hoc te fecit, ut quod de primo officio fuerat deformatum, per te reformaretur. Hinc enim summus episcopus primo considerat angelicam naturam, quae in parte ceciderat: et humanam, quae corrupta erat: et corpoream inferiorem, quae peccato hominis fuerat deterior facta. Sed ad haec omnia fecit te Deus, Virgo Maria, sanctissimam, ut ex tuo super-benedicto fructu angelica natura repararetur, humana renovaretur, inferior a servitute liberaretur. Aedificavit ergo angelis te reginam, hominibus medicinam, creaturas inferiori libertatem: et paulo post: Ideo dicitur: sapientia edificavit sibi domum, id est, te Virginem Mariam, ut in te habitaret per humanam naturam assumptionem; et non tantum sibi ipsi soli te fecit, sed te angelis dedit in instaurationem, hominibus, et nostrae naturae in reparationem, inferiori creaturae in liberationem: sibi in matrem, daemionibus in hostem, detentis in limbo ereptionem. Nam in principio, cum ceciderunt angeli, natura erat corrupta, Deus offensus, et diabolus victor; sed per te, o superbenedicta Virgo Maria innocentia reparatur, vita angelica reducitur, Deus homini pacificatur, et unitor, diabolus vincitur, atque conteritur. Ac tandem compendiosius b. Petrus Damianus (serm. de nativ. Mar.) inquit: *Per hanc beatissimam Virginem, non solum amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo angelicae sublimitatis augetur: quia dum homo ad superna reducitur, illorum numerus, qui diminutus fuerat, reparatur.***

Porro quod attinet ad beneficentiam Virginis in homines, praeter incomparabile illud beneficium humano generi ab ea collatum, ut libere consenserit mater Redemptoris nostri fieri, nobisque vitae auctorem peperit, quo nihil sublimius dici potest: unde divus Bernardus (de nat. Mar.) hac ratione Mariam vocavit, *Aquaeductum*, per quem Filius Dei ad nos pertransit: *Sane, inquit, ipsa esse plenitudo exarantavit, ut feret nobis iustitiam, sanctificationem, redemptionem: derivatus est fons, atque ad nos descendit per aquaeductum vena illa coelestis. Advertistis iam, ni fallor, quam velim dicere aquaeductum, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens nobis edidit illum. Notis enim cui dictum sit: *Ave gratia plena.* Quamvis, inquam, id maximum fuerit Virginis beneficium, in eo etiam ipsa nostrae utilitati maxime consulit, quod in matrem se nobis exhibere non fuerit dedignata. Primam illam Evam omnes norunt ab Adamo appellatam fuisse matrem viventium: quam honorificam appellationem non desunt, qui putent per iro-*

niam sic illam appellari, sicut Graeci *Furias infernales* appellaverunt *Eumenides*, id est, *mites* a contrario sensu, quippe cum sint durae, et inexorabiles. Unde Lyranus interpretatur nomen *Evae*, quod significat non simpliciter matrem omnium viventium, sed cum hac restrictione, *ae misere viventium.* Sed quod mirabilis est, Rupertus Abbas (de Tri. l. 3. c. 26) affirmat Adamum superbiae spiritu influmescens, quasi non timens mori, quam minatur fuerat ei Dominus, vocasse uxorem suam matrem viventium: verba eius sunt haec: *Quid insanius, quam in illo talis causae iudicio, illam nuncupare Evam, id est, vitam, quae vitam in se non habebat; eamque dicere matrem eunctorum morientium? Omnes in peccato eius moriuntur: et nemo filiorum eius vitit, nisi qui per unum hominem Christum vivificantur. Mirabile itaque est, quod ubi mortis corporae sententia ferebatur, iam spirituali morte mortuus, et postea corporali etiam moriturus, illic uxorem suam Evam, id est, vitam appellavit. Igitur cum hoc narravit Moyses, Adamum accepta mortis sententia uxorem suam appellasse nomine vitae, hoc proculdubio significare voluit. Quemadmodum superius Deo dicenti: in quocumque die comederis ex hoc ligno, morte morieris, non crediti, sed comedit, quia mulierem, quae prior comederat, non statim corporaliter mortuum esse vidit; sic et nunc dicit: *Deo: quia pulvis es, et in pulverem reverteris, adeo non credidit, ut e contrario vocaret nomen uxoris suae Evam, id est, vitam, eo quod mater esset eunctorum viventium;* haec Rupertus. Alii arbitrantur, quod et mihi valde placet, propriam, ac primarium nomen uxoris Adae non fuisse Evam, cum virago primum appellata fuisset, ut praedenter Steuchus observavit. Unde nomen *Evae*, seu *vitalis*, impositum illi arbitrator propter aliud, nempe in figuram, et typum Deiparae, quae et Christi, qui est vera vita, et omnium, qui in Christo, et per Christum regenerantur, et vivificantur, parens futura erat, ut notat Epiphanius (haeres. 78): *Beata, inquit, mater Dei Maria, per Evam significatur, quae in aenigma accepit ut mater viventium vocetur; a Maria vere haec vita mundo genita est, ut viventem gigneret, et ferret mater viventium.* Et contra Antidicomacianitas (lib. 3. contra haeres. cap. 3) sic loquitur: *Quandoquidem, ut omnis hominum generatio ex prima illa, quae primaevarum nobilitatem inobediencia vitavit, infeliciter exorta est; sic vera vita qua Deo secundum spiritum viciniam, per alteram matrem Mariam vere obediens, nobis perditis quasi restituitur, dum haec ipsam vitam fontem, et auctorem Christum nobis exhibet. Vetus Eoa foetus suos, priusquam pareret, extincitavit, nocerica potius, quam mater appellanda; sed nova haec Eoa, non morientium, sed reviviscentium mater exitit: quae incogitabili mysterio, de cuius esse fuerat genito, cum ipsum de sua carne vicissim genuit, nec ab alio foecundata, quam ab eo, quem peperit. Hinc beatus Laurentius Iustinianus (serm. de amnec.) contemplan beneficentiam Virginis, tam erga angelos, quam homines, dixit: *Magna profecto***